



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Reuocat ieunij morem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

xit. Id genus pauperum eo semper studio ma-
iore complectens, quo digniores eos liberalis in-
dustria & spes emolumenti publici faciebat. Alii
inquilinorum qui tecto carebant, vel cogeban-
tur ex conductis domiciliis præ inopia demigra-
re, neque conducendis nouis præsto erat facultas
item opulentiorum liberalitate prouidit. Nimi-
multos Catholicorum è primis tanquam hæreses
ca contagione afflatos corripuerat contumacia
gulæ morbus, vt vetitis cibariis per quadragen-
arium ieiunium passim vescerentur. Qui verò
isti morem ieiunij, vel vnum in omni vita tenu-
set diem, vix inuenires ex vniuersa multitudine
vnum, quem instar miraculi demonstrares. Hic
quoque languorem cœlestis medici saluberrima
vox magna ex parte sanauit: & escis temperatum
est interdictis, & iusta ritè ieiunia, atque adeo et-
iam voluntaria liberis temporibus, maxime quæ
ad memoriam Crucis Domini feria sexta detur-
ceps in mores inducta. Ad expiandos autem con-
fitentes, & exercitia Beati Patris dictanda, & alia
pietatis munera habebat Canisius adiutorè Gu-
lielmum Elderenum impigrum sacerdotem, &
alios interdum aliquos; sed omnium diutissimum
Eldo

*Reuocat ieiunij
morem.*

Elderenus adiuuit: qui & Catechismum præterea
domi explicabat bono numero puerorum ex pri-
ma ferè nobilitate.

Anno eodem præclarum edidit libellum Ca-
nisius Germanica lingua, in quem formulas præ-
candi pulcherrimas ad varios vsus collegerat: qui
statim probatus, summaque cupiditate manibus
omnium teri cœptus. Placuit vsque eo Cæsari, vt
quo longiùs funderetur, continuò censuerit lati-
ne quoque vulgandum. Editus est paruus quoq;
Catechismus, sicut paulò antè maior exierat, ap-
posito iussu Cæsaris auctoris nomine. Et quia nul-
lam vir solertissimus non tentabat viã, per quam
religionem proueheret, ac pietatem aleret, ex o-
peribus sancti Hieronymi ornatiores selegit epi-
stolas, ediditque eo consilio, vt Christiani ado-
lescentes haberent Christianos fontes, vnde non
latinam solùm, sed & Christianam linguam, &
eloquentiam haurirent. Opus Academiae Dillin-
ganæ, quæ in sancti Hieronymi tutela est, dedi-
cavit. Magna quoque cura Beati Cypriani iam
pleraque operum emendarat, sed eum postea la-
borem cum ab aliis susceptum cognosceret, præ-
termisit. Nec verò lucubrationibus suis tantum,

*Edit libellum
precatorem.*

*Paruum Cate-
chismum.*

*Selectas Episto-
las S. Hierony-
mi.*